

BV30

H3

V.2

1888



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

ÆRARIUM EVANGELICUM

FESTUM GAUDIOSISSIMÆ RESURRECTIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

EVANGELIUM MARCI, CAP. XVI, VERS. 1

1. Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum.
2. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.
3. Et dicebant ad invicem : Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?
4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.
5. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.
6. Qui dicit illis : Nolite expavescere ; Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum ; surrexit, non est hic ; ecce locus ubi posuerunt eum.
7. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro quia præcedet vos in Galilæam ; ibi eum videbitis sicut dixit vobis.

Explanatio hujus Evangelii desideratur.

VERSUS 1.

Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum.

ADDITIONES.

a. — Mirum est hic, quod non Apostoli, sed mulieres primo accurrunt ad sepulchrum. Sed respondet primo eleganter S. Chrysologus, Ser. LXXIX : « Non postponuntur Apostoli feminis, sed ad majora reservantur. Fœminæ obsequium Christi suscipiunt, Apostoli Christi suscipiunt passiones ; illæ portant aromata, isti flagella ; illæ intrant sepulchrum, isti carcerem ; illæ obsequium præstare festinant, isti pervolant ad catenas ; infundunt istæ oleum, isti sanguinem fundunt. Quid multa ? Resident illæ domi, isti ad acies tendunt. » Quanta hæc sollicitudo feminarum pro Jesu ? Illæ vigilant, ut aromata deferant pro Jesu defuncto : minime id præstant Apostoli, sed domi sedent, cum illæ pergunt ad monumentum. Sed quia hæc non præstant Apostoli, minoris idcirco virtutis esse æstimandi erunt ? Absit. Hæc est divinissima Dei sapientia, quæ electorum viribus accommodat munera commissa, ne fortiores implicentur in minimis, sed ad præstantissima prosiliant, et ne in-

firmiores impar onus suscipiant, cui succumbant ; ad aromata conficienda molliaque obsequia præstanda mulieres assumuntur, utpote fragilioris conditionis ; ast ad peragenda negotia sanguinis, ad carceres et flagella reservantur Apostoli.

b. — Aliam adhuc rationem assignat idem Petrus Chrysologus, cur mulieres primæ currant ad sepulchrum, sermone in paragrapho præcedenti citato : « Non est ergo mirum, » inquit, « si ad lacrymas, ad funus, ad sepulchrum, ad obsequium Dominici corporis fœminæ ardentiores Apostolis sic videntur, ubi mulier prima currit ad lacrymas, quæ prima cucurrit ad lapsam. » Sepulchrum, luctum et lacrymas requirit ; merito ergo mulier quæ prima cucurrit ad culpam nunc currit ad luctum, ad lacrymas, quia peccatum semper involvit secum annexas lacrymas et optima sibi est dispositio ad veniam, ut qui primus fuit in lapsu, primus sit quoque in lacrymis. Lacrymæ enim ignem infernalem extinguunt, terrorem demonum incutiunt, iram Dei ob peccata nostra offensa placant. S. Chrysostomus ad illa Psalmistæ verba se reflectens : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, longe expedientius esse dicit in hac lacrymarum valle continuo flere ; quia « si noluerimus hic flere, « in inferno omnino necesse est flere et ejulare :

II.

007866

« illic quidem inutiliter, hic autem cum emolumento; et illic quidem cum ignominia et dedecore, hic vero decore admodum et honeste. Quod autem necesse sit hoc fieri, audi quid dicat Christus: *Illic erit fletus et stridor dentium*. At non ita quod hic flet, sed magnam consequentur consolationem: *Beati enim qui lugent, quoniam hi consolationem accipient*. Hæ lacrymæ possunt extinguere ignem inextinguibilem, fluvium illum qui trahitur ante tribunal. »

Quod lacrymæ dæmoni bellum inferant, multi sacri attestantur Doctores, alios inter S. Antonio de Padua, hanc imprimis adducente similitudinem: « Sicut fumus expellit apes, sic amara et lacrymosa compunctio expellit dæmones, qui circumdant animam, sicut apes favum. » S. Petrus Damiani comparationem nimbi seu turbinis adducit inquit: « Lacrymantes oculi diabolum terrent et sic lacrymarum erumpentium expavet impetum, ac si procellosi nimbi grandinem, vel furentium undique ventorum effugiat tempestatem. Nam sicut sumosi torrentis cumulus supervertemis, canctis alveum sordibus purgat, sic lacrymarum profluentium cursus, ex mente fletus et diabolice versutiae semina, et omnes sordentium vitorum pestes eliminat. »

Postquam Joel in progressu Prophetiæ suæ severissima divinae Justitiæ flagella intromisset, rebelli Judæorum populo desolationem prædicando et ruinam, deinceps ostendit Deum iratum nullo alio meliori modo mitigari posse quam per lacrymas et planctum; unde dicit, *cap. ii, 13*: Nunc ergo dicit Dominus: *Convertimini ad me in fletu et in planctu, scindite corda vestra, convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiz*. Ac proinde S. Gregorius Nazianzenus, *Orat. xv*, optimum his verbis nobis tradit consilium: « In lacrymis animas vestras posside, divinam iram reprimit, vestra vite studia et instituta in melius commutantes. » Tametsi contra nos promulgata sit funesta mortis sententia, attamen si apud Deum, quantumvis juste iratum, lacrymæ nostre interveniant, hæ ad illum revocandam et obliterandam abunde sufficiunt. Unde Divus Chrysologus ait: « Delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam. »

e. — Non valet hic mysterio quod mulieres non dieuntur emere unguenta sed aromata, ex quibus conficienda erant unguenta, ut recte ponderavit D. Bernardus, *Serm. xii in Cant.*, ubi ait: « Emunt non unguentum, sed aromata, et unctio in obsequium Domini non facta assumitur, sed nova conficitur. » Sane potuissent unguenta docte jam condita emere, ne operam et laborem impenderent ipsæ conficiendis illis. At pia et devotæ femine determinant non labori parere, sed omnem suam operam et studium offerre Christo et ideo simplicia

aromata emunt, ut habeant quod amplius laborando efficiant, scientes quod Deus in obsequio et servitio suo diligentiam et ferorem requirit. S. Paulus, in Ecclesia primitiva quæ in futuris sæculis fulura erat fidelium aliorum speculum et norma, dissolvere volens rigidam pigritiæ et negligentiæ in divino servitio glaciem maxime in hac urbe Romana, ubi Princeps Apostolorum sedem suam fixerat, in hæc verba Romanis, *xii, 11* scribit: *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes*. Hæc autem sollicitudo non eo fine ab ipso requirebatur ut per eandem divitiæ, honores, provincie, ac regna acquirerentur, sed ut bona compararentur spiritualia, in cultu religionis Christianæ, quam recenter amplectati fuerant. Dicit autem *spiritu ferventes*, quia volebat illos in cultu Dei ardentes, non vero flaccidos, languidos et otiosos. Vix hæc pronuntiaverat Apostolus, quando immediate subdit: *Dominus servientes*. O quanto cum studio, sollicitudine et fervore, obsequia terrenis præstantur principibus, nutus eorum quodammodo coniectantur et intentiones? Nullæ in illorum servitio molestæ censentur vigilie et curæ. Quanto igitur rationabilis est ut non dissimilem in Dei servitio ardorem, sollicitudinemque exhibeamus? Michas propheta acceptam aliquando divini Majestati oblationem facturum, apud seipsum consultabat, dicens, *cap. vi, 6*: *Quid dignum offeram Domino? Curabo genu? Numquid offeram holocaustomata et vitulos anteius? Numquid dabo Primogenitum meum?* Postquam igitur diu multumque secum ipse disceptasset, nihil horum sacriliciorum Deo summe placere resolvit, inquit: *Utique indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te. Utique sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Inter omnes alios antiqui Testamenti heroes, duo fuerunt illustrissimi, atque ideo a Deo in celo et in terra, præ aliis sublimati. Ambo enim primi sunt in genealogia Unigeniti Filii sui: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham*. Ambo quoque fuerunt præ cunctis aliis generis humani accepti et privilegiati, eo quod maxime in eis obsequio ferventes se probarent. Vix enim Abraham a Deo vocatus fuerat dicente: *Egrede de terra tua et veni in terram quam monstrabo tibi*; cum ecce sine ulla dilatione egressus est, sicut præceperat ei Dominus. David autem ardentissimum se Dei amatorem ostendendo, Dei sibi cor lucratus fuit juxta illud: *Inveni hominem secundum cor meum, quia in operibus honorem et cultum illius spectantibus ferventissimus erat, ideoque dicebat: Paratum cor meum Deo, paratum cor meum*.

d. — Hæ mulieres sanctæ quocumque fidelem populum, contra profanas hereticorum irrationes, subsannationes, quibus devotionem populi Christiani, circa cultum et devotionem sanctarum reliquiarum sanctorum Christi Martyrum et Confessorum, exhiberi solitam, excipiunt, erudiunt. Ele-

nim nullum aliud ab illis excogitabatur lucrum, quod adeo maturæ salutatrices accederent ad sepulchrum, nisi ut ungerent Jesum, debitamque venerando maxime corpori, emptis aromatibus, venerationem adhiberent. Et licet in hoc ipso errarent, ut viventem quærerent cum mortuis, attamen adeo hoc devotionis et voluntarii cultus factum, hæc sacratissimi corporis intentam venerationem, gratam et ratam habuit Dominus, ut Angelorum visione et consolatione dignæ fuerint; ut miraculose in earum gratiam gravissimus lapis remotus fuerit, et ipse Christus eis in via redentibus apparuerit, atque, quod Magdalene soli negatum, tres pariter cum essent, cum tangere et osculari pedes permisissæ fuerint. Sic enim Matthæus, *xxviii, 8*, scribit: *Et cæcervit cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit eis dicens: Ave. Ille autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus*. Denique, ut S. Ambrosius, in *cap. xxiv Luc.*, ait: Illis præ omnibus injunctum fuit, ut mysterium legis Evangelicæ maxime profundum et creditu difficillimum prædicarent, primasque resurrectionis suæ nuntias et testes, et quasi Apostolorum Magistras, Christus constituit. Sic nempe ex reliquiarum cultu in proprium commodum varia bona et beneficia redundant, ut et ipse Deus insolla miracula faciat, gravissimum sepulchri lapidem removeat et ut minus reverentes sepulchri custodes terræ mota exterreat, ut doceat quantam erga sacras reliquias æstimationem conservet. Inter alios divini assistentiæ effectus, quibus Deus assistit Sanctis, recensuit Propheta regius etiam curam illam qua invigilat ossibus et cineribus eorum post mortem, *Psal. xxxiii, 21*: *Custodit Dominus omnia ossa eorum*; « Quod potest exponi de ossibus corporis, » ait Dionysius Carthusianus, « quæ licet in passione, vel post mortem conterantur et corrumpantur, custodiuntur tamen a Domino. » In omnibus sæculis, experientia docuit quantam cum veneratione, æstimatione et honorificentia sint custodita non ossa duntaxat, sed etiam atomi minuti et imperceptibiles sacrarum illorum cinerum. Veteris etiam legis zelatores appetiebantur, reverebantur, ac custodiebant Sanctorum reliquias cadaverum. Ecclesiasticus, *xiv, 1, 14*, ait: *Laudemus viros gloriosos et parentes nostros, in generatione sua...* Corpori ipsorum in pace sepulta sunt et nomen eorum vivit in generationem et generationem. « In pace, id est, in honore, decore et splendore, » ait Cornelius a Lapide, « sive opulenter, » splendide et magnifice. Pax enim Hebræis opes « omneque bonum significat. » Sallianus referens historiam Absalonis, ejusque simulatum animum, quod patri suo dixerat et fingendo persuaserat, se illorum in Hebron, ut ibidem vota sua persolveret: *Vadam et reddam vota mea quæ voci Domino in Hebron*, ita scribit præfatus Historicus: « Quod

« aperte ostendit etiam Davidis tempore religiose « coli solita monumenta Sanctorum, votaque Deo « sub eorum patrocinio facta fuisse persoluta. Re « enim dubia vel insolenti non bene texisset men- « dacium suum Absalon, nec habuisset ejus præ- « textum ullam apud Davidem probabilitatem. » Peregrinabantur Hebræi in Hebron, ut ibidem venerentur ossa sacra Patriarcharum. Unde Lyranus scripsit: « Locus enim ille sanctus reputabatur, eo quod quatuor Patriarchæ principales sunt « ibi sepulti cum suis conjugibus; scilicet Adam « et Eva, Abraham et Sara, Isaac et Rebecca, Jacob « et Lia, sicut dictum est, *Genes. xxxii*, et ideo « Absalon fingebat illic ire ex devotione. » Antiquus usus et veneratio sacrarum reliquiarum ex novo pariter Testamento probatur a primo presertim Ecclesiæ sæculo. Hamorrhœissa devota tetigit fimbriam vestimenti Domini; dicebat enim intra se: *Si tetigero linteum vestimentum ejus, salvo ero*, *Matth. ix, 21*. In Actis Apostolorum, *xix, 11*, legitur: *Virtutesque non quolibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferretur a corpore ejus sudaria et semicinctia; et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur*. « Olijcint hæretici, » inquit Salmeron: « Quorsum ista mortuorum ossa et cineres? Quibus « respondendum est. Quorsum sudaria et semicinctia Pauli? Et quare umbra Petri sanabat infirmos? »

e. — Mortuo dulcissimo Redemptore, nec non in novo monumento recondito, summo mane veniunt mulieres ad monumentum, habentes aromata ut ungerent Jesum. Vera habebant aromata meras redolentia virtutes, dulcissimum spirantes amoris odorem, cujus evidentissima exhibebat signa; amor enim debet esse operatio, sicuti vere erat in devotis hisce mulieribus. Amorem quo Deum prosequimur, in dubium merito revocare possemus an verus sit atque sincerus, cum sit actus quidam mere internus, qui sub oculorum aciem minime cadit; nisi S. Joannes opera nostra exteriora infallibilis interioris amoris signa esse diceret. Vulgatum est illud sancti ejusdam Patris edictum: « Probatio dilectionis exhibitio est operis; » atque ideo superest ut nonnulla specialiora charitatis indicia examinemus. S. Paulus, *I Cor., xii, 2*, ait: *Charitas patiens est, benigna est; charitas non amulat, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. Sed penitus charitatis signa charitatis que filios Dei a filiis diaboli discernit examinemus. S. Bernardus, *Serm. ii de modo bene vivendi*, scribit: « Tunc vere Deum diligis, si « pro amore illius bona que potes, operaris. » Ita quoque ait S. Gregorius: « Nunquam est amor Dei

« otiosus, operatur enim magna, si est; si vero « operari renuit, amor non est. » S. Thomas de Aquino pulchram quamdam S. Augustini adducens auctoritatem ita scribit: « Fortitudo est amor facile « tolerans omnia, propter id quod amatur. Qui « omnia dixit, nihil excipit; diligas fortiter ut pro « ipso sustineas inopiam rerum si oportuerit. »

Infallibile vero signum animæ Deum amantis est, si anima aliud præter Deum non cogitat, aut vero si aliud quoque desideret, id tamen alio modo non faciat, nisi in ordine ad ipsum Deum. « Tunc « demum perfecta erit charitas, » inquit S. Bernardus, « cum sic amor Christi totum absorberit « affectum hominis, ut negligens et inmemor sui, « non nisi Christum Jesum et ea que sunt Jesu « Christi, sentiat. »

Hæc est charitas, inquit S. Joannes, II Epist., 1, 6, ut ambulatus secundum mandata ejus. Etenim nequaquam dubitandum est, quin anima illa vera charitate ardeat que in divinorum præceptorum adimpletionem exactam se exhibet. Dixit enim ipse Dominus noster: *Moneo in dilectione mea.* Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego præcepta Patris mei servavi et maneo in ejus dilectione.

Richardus de S. Victore de gradibus charitatis scribens, alium quemdam divini amoris effectum nobis insinuat, dum ait: « Fortis ut mors dilectio, « dura sicut infernus emulatio, quia pati cogit « omnia, sed volentes, libentesque. » Celebre est illud Origenis de S. Maria Magdalena corpus Christi rapere satagente elogium: *Si tu sustulisti eum, inquit prefata ardentissime amans peccatrix, dicito mihi ubi posuisti et ego eum tollam.* Querit igitur Origenes: Quid si corpus dilecti tui in atrium Pontificis, in quo Petrus timore consternatus Magistrum suum negavit, depositum esset, tunc illud ingredi velles? Aut vero si ab armata militum custodia servaretur, tunc per medios illorum enses et lanceas penetrare auderes? O ineffabilis hujus mulieris amor! Nullum locum excipit, nullum anteponit, quia qui vere amat, neutiquam timet, nam perfecta charitas foras mittit timorem; aliud quam pro objecto amato pati et affligi non desiderat. Est et aliud amoris perfecti evidens signum, nimirum dum quis Deum sine ullo interesse, aut spe remunerationis diligit, solum ideo quia ex semelipso amari mereatur. Optime in hanc rem S. Chrysostomus hisce verbis scribit: « Amator enim vel millies « pro amica moretetur, quamvis post mortem « nihil ab ea expectaret; ita et nos oportet, non « propter regnum, nec propter aliud, sed propter « Deum omnia pati. »

Verum enim vero præ cunctis manifestissimum amoris indicium est amor proximi. « In dilectione « Dei includitur dilectio proximi, » ait S. Thomas, adducitque auctoritatem illam S. Joannis, I Epist.,

iv, 21, dicentis: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.* Simili quoque modo Hugo Cardinalis scribit, dum ait: « Dilectio Dei in dilectione proximi continetur, quia « non diligimus proximum, nisi propter Deum. » Quod etiam confirmat per illam S. Gregorii Magni sententiam dicentis: « Amor Dei generat dilectionem « nem proximi, et in dilectione proximi, amor Dei « calefacit. »

f. — Sanctæ mulieres observaverunt locum sepulture, ut ad sepulchrum redirent, Jesumque unguento perfunderent pretioso; unguentique composito redierunt, sed non eadem die qua Dominus est sepultus, id est feria sexta sub vespere, quia non suppetebat tempus illa die faciendi quod optabant. *Sabbato quidem, ut ait S. Lucas, stiverunt secundum mandatum;* id est, quieverunt, cessaverunt ab opere, ac negotiatione, quia diei festivitas id posebat; Ierosolymis enim dabatur sabbatum et templo incipientis et finientis sabbati, ut omnia rite, ac suo tempore tractarentur. Sabbato vero transacto, sequenti die in sepulchrum aromata portantes pergunt. O præclarum documentum! Pro illo tempore, observatio sabbati erat ex præcepto, ungere vero corpus opus devotionis; et sanctæ mulieres præceptum ob devotionis opus non violant. Ex quo colligere licet quantum peccatum dies festos profanando committatur. S. Bernardus tamen enormis peccati militiam exaggeraturus, hunc in modum loquitur: « Quam execrabile sit talibus diebus vacare lascivis cantibus et choreis, ubi visu, auditu, « gustu, tactu, mentes astantium illaqueantur et « contaminantur, quis exprimere potest? Non enim « deliciis et epulis carnalibus diem Dominicam deputavit Deus, sed magis ipsum sacris exercitationibus et sancto otio conservavit. Benedixit enim « Deus diei septimo et sanctificavit illum. » Enimvero ad lenientius exprimendam injuriam, quam Deo irrogatis, qui illum in die divino suo cultui destinato, qualis est dies festus, offendit, sequens similitudo apte deservire poterit. Si enim amicus aliquis, septem duntaxat scuta habens, sex illorum tibi donaret, uno solum sibi in usum proprium reservato, nunquid ingratus, imo abominabilis latro esses, si unicum illud scutum ei furtive eriperes? Nonne donator, juxta leges justissime faceret, si donationem sex scutorum antea factam revocaret? Deus nobis sex septimanæ dies in servitium et commodum nostrum donavit, unicum tantum sibi reservato, ut illum in ejus honorem impenderemus; qua igitur ratione tam ingrati esse poterimus, ut et hunc profanare et in satisfactionem nostram, idque, quod crimen plus aggravat, in ejus injuriam et offensam consumere non verecundemur?

A supremo Legislatore Deo, multæ promulgatæ sunt leges, tum in commune reipublice benefi-

cium, tum in privatam particularium et proximorum nostrorum utilitatem; at vero præceptum sanctificandi dies festos, in ejus cultum et honorem immediate tendit; ideoque de iis qui illud prævaricantur, vere dici potest: *Dissipaverunt legem tuam;* tales enim Deum ipsum directe et immediate vilipendunt et contumelia afficiunt. Unde S. Mater Ecclesia hanc observantiam magna cum sollicitudine urget. Quare et S. Carolus Borromeus ait: « Sacrosancta Tridentina synodus, cum statuit « fideles religioso festorum cultu abuti non debere « ad commessiones, ad luxum et lasciviam; tum « Pastores omnes vehementer in Domino obtestata, « debitam sanctamque eorumdem observantiam « pastoralî diligentia magnopere commendavit. » Et post citatum decretum xxv de invocatione Sanctorum, subjungit sequentia: Fideles nefariis istis Satanae blanditiis illectos, a divinis officiis, religionis supplicationibus, lectionibusque sacris abduci, avertique rudes a pereipiendis fidei rudimentis, aliosque ab aliis christianæ pietatis officiis, in quo eorum tempore religiose incumbendum est, abstrahi et amoveri. Hoc certe gravissimum est in conspectu Dei et Ecclesiæ.

g. — *Maria Magdalena, Maria Jacobi et Salome emerant aromata ut ungerent Jesum.* « Non ad ungendum tantum aliquam corporis partem, verbi gratia, pedes aut caput, » ait S. Bernardus, *Serm. xii in Cant., « sed ut venientes ungerent Jesum, quod est totius complexio.* Tu quoque si te induas viscera misericordie, liberalem, benignumque exhibeas ad omnes. » Non solum pedes et caput Christi sed etiam totum corpus ungerere parat Magdalena, ut in corpore ejus mystico similiter tu te habeas. Eleemosyna enim eroganda est sine termino ac discrimine in omnes, sive hos, sive illos, sive amicos, sive extraneos. Deus enim in persona pauperis accipit eleemosynam, ac proinde non est examinandus pauper an mereatur; quin potius præveniendâ et prævidendâ est ejus necessitas, ut ejus in postulando verecundie consulatur. S. Petrus Chrysologus, *Serm. xl, super Psal. xl, 2: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, interrogat dicens: « Et quæ est intelligentia tibi est « professa paupertas? Vis est intelligentiæ, si rime- « tur viscera, si reprehendat occulta, si te lecta nu- « det; verum subjecta oculis et exposita in publico, « ingesta rebus non est intelligere sed videre: « nuditate algiqûs, labidus fame, siti aridus, lassitudine tremens, defectu luridus, quod egenus sit « intelligere, quis labor? Et si labor intelligentiæ « nullus est, unde est intelligentiæ fructus? » Tandem vero discursum suum in Christum convertens qui teste Evangelio, in pluribus locis se in paupere agnitus esse velle declarat, hunc illum esse dicit, qui seriam a nobis considerationem mereatur et exposcit: « Oremus, » inquit, « fratres,*

« ut ipse nobis intelligere intelligentia concedat, « qui se intelligi in paupere, sic demonstrat; ut « ipse qui celum tegit, sit nudus in paupere, quod « in esuriente esuriat saturitas rerum, quod sicut « in sitiente fons fontium; intelligere quomodo « non magnam est, quomodo non beatum, quod « ei sit ampla paupertas cui angustum est celum; « qui dilatat mundum, quod egenus in egente; quod « frustum panis, aqua calicem, dator omnium « quaerit; quod se Deus amore pauperis sic deponat, ut non adsit pauperi, sed ipse sit pauper. » Atque hinc est, quod nequaquam examinandum est meritum vel demeritum mendicantis, quia Christus est qui recipit pro illo, ipseque datum in rationes suas reponit.

VERBVS 2.

Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.

Additiones.

a. — *Et valde mane, etc.* Questio hic oritur cur hæc tres mulieres præ cæteris tam cito veniant ad monumentum? Et ratio est: Ex omnibus que Jesum sequebantur, hæc tres solum veniunt ad sepulchrum, utpote maxime gratæ, beneficiis acceptis a Jesu. Nam Maria Magdalena a septem demonibus liberata, magnisque gratis donata fuit. Maria Jacobi maxime erat propinqua Jesu sicuti et Maria Salome, quarum quoque filios ad apostolatam assumpsit. Cum ergo hæc tres femine maxima recepissent beneficia, hinc etiam præ cæteris majorem habent gratitudinis obligationem. Gratiarum enim actio acceptissimum Deo est sacrificium. Sanctissimus David se a divina magnificentia innumeris videns accumulatum beneficis, quia scilicet ab ortum custodia ad populorum regimen sublimatus fuerat, atque a crudelissima Saulis persecutione præservatus, multisque fortunatus victoriis, inter omnes quibus abundabat, thesauros, nullam penitus victimam tantis beneficiis pro gratitudine dignam reperire poterat, unde die quodam dicebat: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Præmissa vero circa preciosam et acceptabilem oblationem faciendam deliberatione, tandem conclusit dicens: *Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.* « Hoc « est, » ait D. Chrysostomus declarat, « gratias « agam, laudabo et nomen Domini invocabo. Vides « quomodo est sacrificium laudis? *Vota mea Domino « reddam in conspectu omnis populi ejus, in atris « domus Domini, in medio tui Jerusalem.* » Et quidem ut idem D. Chrysostomus ponderat: « Hoc « faciebat, non ut se ostentaret, nec ut gloriam « caperetur, sed omnes ad suam imitatum « nem et volens eos habere socios gratiarum « actionis. » S. Paulus, I Cor., xii, 3, scribit: *Si*

distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habvero, nihil sum. Eodem quoque modo, in casu nostro dicere possumus: Si obtuleris Deo omne id quod habes et tamen eum per hoc gratiarum sacrificium honorare neglexeris, nihil illi dederis, quod in comparatione hujus aestimari possit, quia nullum gratiarum actioni par bonum. S. Bernardus, in quodam sermone de pessimo ingratitude vitio, circa finem, ita scribit: « Nec verbo tantum, vel lingua, sed opere « et veritate exhibeamus nos gratos ei qui gratia- « rum actionem magis quam dilectionem, a nobis « exigit dator gratiarum Dominus noster. » Verum quidem est, amoris actibus prae cunctis aliis primatum deberi, et tamen hic sanctus adeo excellens et famosus, hoc gratiarum sacrificium Deo longe acceptius esse dicit, quia sine dubio holocaustum quoddam esse perfectissimum, in Dei honorem per ingratum charitatis contumeliam.

b. — *Et valde inane veniunt ad monumentum.* Quid? annon periculosus nimium erat hic exitus? Annon nullis suspicionibus et injuriis subjectus? Exierunt tamen et mane exierunt, scientes sequacium Christi et virtutis proprium esse, scopos esse injuriarum et irrisionum hominum improborum. Filii Israel Aegyptiorum mancipia, laboribus et sudoribus suis magnum regno illi afferbant emolumentum; a seditionibus et armis penitus abstinabant, ita ut nulli formidabiles essent; nihilominus Chronologista sacer attestatur: *Oderant filios Israel Aegyptii et affligebant, illudentes eis.* Ubi Abulensis ait: « Gravior ac caeteris intolerabilior labor erat, « magna illusio, ac insullatio Aegyptiorum. » Israelite virtutum figurabant sequaces, qui ex industria servitio se dedunt divino. Tales itaque non modo Aegyptiorum, id est, mundanorum malevolentiam, sed et Iudibria et derisiones eorumdem contra se provocant: *Affligunt illudentes.* Ideoque S. Prosper ait: « Omnes qui in Christo volunt pie vivere, « necesse est, ut ab impiis et dissimilibus patiantur « opprobria, et despiciantur tanquam stulti et insani, qui presentia bona perdant et invisibilia « sibi ac futura promittant. Sed haec despectio et « haec irrisio, in ipsos retorquetur, cum et abundantia eorum in egestatem, et superbia transierit « in confusionem. » Apostoli tanquam primi Christi discipuli et sequaces, indignitandi, Iudibrisque exponendi erant, *tanquam purgamenta hujus mundi, facti omnium perspensa,* sed benignissimus Salvator suos animare volens ad pugnam, proelium iis praedixit, inquit: *Si de mundo fuissetis, mundus quod sumum erat diligeret, qui vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea vos odit mundus.* Ecce vobis rationem cur boni ab impiis irrideantur. « Vide quales elegerit Deus, » inquit Oleaster, « quos scilicet omnes fastidiunt et a quibus omnes abhorrent, quos mundus rejicit; » ita

ut quis se fornicariis, lutoribus et similibus ascians non irrideatur; ubi vero vitam aggredi meditatur spirituales, mox omnes a se aversos mirantur socios et ab iisdem illi et declinari. *Si adhaec hominibus placerem, Christi servus non essem, ait* Apostolus. At quia difficultatem penetrabat quam ex gentilitate ad Christum conversi experiebantur in fortiter sufferendis illusionibus, injuriis et contumeliis inimicorum fidei, ideo illos ad contemplandum pendente in patibulo, tamque gravibus oneratum improperiis Dei Filium invitabat dicens, *Heb., xii, 2: Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui propositio sibi gaudium sustinuit crucem, confusione contempta; recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis.*

Cum igitur Christiani character proprius sit impropriorum esse metam, nec non injuriis contumelisque subijci, consequens est, propriam quoque ejusdem virtutem esse, non indignari ad illas, sed potius cum mansuetudine et benignitate eas supportare. Quemadmodum S. Bonaventura, S. Augustini auctoritate usus, caeci illuminati a Domino et e synagoga ejeti, exemplo probat, dicens: « Illi « pellunt, excipit Dominus, magis enim quia pulsus « est, Christianus factus est. » Quanto majoribus namque appetit injuriis amore Dei solidi persistimus, tanto magis veros nos perhibemus Christianos, quemadmodum Apostoli qui omnibus fidelibus tanquam norma actionum servire debeant ad impropria et insultus nequaquam indignabantur, quin potius jubabant, dicente S. Luca: *Illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

c. — S. Bernardus miratur, in Allegoriis Novi Testamenti, quod sancti Evangelistae ita enucleate Christi Domini Passionem et resurrectionem enarrent. « Quid est, » ait, « quod omnes Evangelistae, « licet eis et quaedam non omnibus sint communia, « passionem Domini et resurrectionem diligentius « persequantur, ut non sit aliud legisse quae scripserant quam quae facta vidisse? Ni fallor hoc ideo « fuit, quia haec erant, quae minus oportuno igno- « rari, quod sine passione Domini nemo habereat « unde speret. » Gravem in via sanctae mulieres patiuntur difficultatem et tentationem, quae moram itineris facere potuisset, scilicet grandis ille lapis super sepulchrum, quam tamen vincunt, cum oculos ad passi Domini sepulchrum conjiciunt: *Et respicientes viderunt revolutum lapidem;* digitoque ostendunt hoc modo et erudunt passionem Domini efficax esse remedium adversus diabolicas tentationes. S. Antoninus revocans nobis in memoriam figuram illius passionis, nempe serpentem anemum deserti ait: « Figura, quando ad aspectum serpentis

« aeni in palo erecti homines aspicientes sanaban- « tur a moribus serpentum, id est, demonum; « praeservantur ne occidantur homines, aspiciendo « ad Crucifixum mente figuratum in serpente aereo. « Num., xxi. » In probationem hujus consideranda sunt verba illa Apostoli ad Colossenses, ii, 15, scripta: *Delens quod adversum nos erat chirographum, affigens illud cruci;* quo fructu? *Expoliatis principatus et potestates, tradidit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Quamvis serpens infernalis, post ejectionem e caelo, venenum suum in bonos evomere semper conatus fuerit, in primo tamen saeculo nascentis Ecclesiae longe majorem impendit industriam ac laborem, ut Christianos toxico suo inficeret. Quapropter S. Petrus suis exhortationibus et epistolae aliquod antidotum nos docere voluit, cum ait, *I Epis., iv, 1: Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* Ubi observandum Apostolum non dicere: *eodem cruce;* sed *cogitatione,* quia notat Hugo Cardinalis: « Sola « memoria et cogitatio passionis et crucis Christi, « maxima est fortitudo et arma contra demonis « potentiam. »

d. — Nullo prorsus modo mirandum, quod piissimus Salvator summo mane his mulieribus apparuerit, Apostolis vero apparere distulerit usque in vesperum. Cum enim ferventissime fuerint in charitate, voluit Christus Dominus ostendere quantum de amore nostro erga se aestimationem haberet, et haec aestimatio nos ad illum sine limite amandum obligat, maxime cum totum amoris lacrum nostrum sit et per illum omni debito nostro satisficiamus. S. Thomas de Villanova eximium illum et specialissimum considerat honorem quem creatura vilis et indignus ille terrae vermiculus ex eo accipit, quod Deus infinite majestatis eandem ad se amandum invitare dignatus fuerit: « Multum dignificas me « dum sic amari vis a me. » Quod si summus Pontifex Praelatum aliquem ad suam invitaret amicitiam et familiaritatem, quantum is se honoratum esse censeret, maxime si Pontifex insuper in affectus, quo ipsum prosequatur esset remunerationem eidem sublimissimas promitteret dignitates? At vero longe major honor est quem homo a Deo illico recipit: *Quem adorant dominationes, in cujus quoque femore scriptum legitur: Rex Regum et Dominus dominationum.* Dum enim hic nos ad se amandum exstimulat, gratiae et gloriae suae nos intendit facere participes. Neque ex eo quod hunc sui amorem nobis per formale praeceptum imponit, amoris illius aestimatio vel pretium vel minimum diminuitur. Per hoc enim quod Deus homini ut ipsum amaret praeceptum imposuerit, eundemque ad amorem hunc per aeternae beatitudinis remunerationem, poenamque infernalem amorem hunc negligentem statuit, obligari, manifesto indicat, quod hunc hominis erga se conceptum amorem permagni

aestimel, cumque ipsum praecepto ad amandum exstimulet, obligatus quoque sit ut omnia illi ad hujus praecepti adimpletionem necessaria auxilia subministrat.

e. — S. Chrysologus more suo subtilem dat rationem, cur mulieres prima sint quae vadant ad monumentum, dum ait ut supra dictum est, *Serm. xcix:* « Non est ergo mirum si ad lacrymas, ad « funus, ad sepulchrum, ad obsequium domini « corporis feminae ardentiores Apostolis sic videantur « tur, ubi mulier prima currit ad lacrymas, quae « prima occurrit ad lapsum. » Vult hic S. Petrus docere quod quanto quis prior fuit ad lapsum, tanto quoque magis accelerare debet penitentiam, quia raritas confessionis peccatum inveterat in anima. Rationem cur Deus Salomoni divitionem regni minabundus intentavit, tertius in haec verba exprimit liber Regum, xi, 11: *Dixit illi quae Dominus Salomoni, quia habuisti hoc apud te et non custodisti pactum meum, dirumpens secundam regnum tuum et dabo illud servo tuo.* Quem Davidis lael adulterium, homicidium et superba populi numeratio? Cur itaque non eidem, qui filius subijcti poenae et ille? Rupertus Abbas hanc Salomoni factam discedens reprehensionem, ita discurrit: « *Quia « habuisti hoc apud te:* Cui sic dicitur, palam est, « quod peccatum suum nequam confiteatur; nam « apud se habet, cui quod ferit non displicet; « caeterum cui displicet, non apud se sed contra se « habere dicendus est; non enim abscondit sed « annuntiat; non defendit sed accusat. »

Divina justitia impiis quibusdam per Jeremiam graves aliquas intentavit poenas, quas et executioni demandavit eo eorum contumaciam: *Idcirco percussit eos leo de sylva, lupus ad vesperam vastavit eos, qui multipliciter sunt pravocationes eorum, confortatae sunt aversiones eorum.* Multi equidem a confessione abhorrent in vita, plurima interim peccata accumulantes peccata, qui in vitam tandem epologo, lupis et leonibus infernalibus in praedam cedunt: *Lupus ad vesperam vastavit eos.* Si enim contingat hujusmodi quandoque confessorium petere, justo Dei judicio, aut prompte deficient Sacerdotes, aut serius accedunt, aut certe confessio instituitur invalida. « *Inveteraverunt ossa mea;* id « est, » inquit Dionysius Carthusianus, « velutate « pravae consuetudinis et diuturnitate peccati con- « sumptae sunt virtutes animae meae; peccata enim « non confessa, neque contrita, charitatem et gra- « tiam, omnesque virtutes mortificant et expel- « lunt. » Peccatum non modo gratia atque amicitia Dei exiit animam, ast dum admittitur, neque per confessionem expiatur, inveterascit et canceris instar viscera corrodit conscientiae, ita ut de die in diem magis magisque averso crescat ac penitentiae horror. Difficilem reputabant fratris Lazari resuscitationem Maria et Martha, non scientes miracu-

lum circa filium viduæ, et filiam archisynagogi a Christo faciliter perpetratum; ast ecce adductam ab eis rationem: *Quatriduanus est, jam fatet, Lazarus iste animam denolabat peccato inveteratam.*

f. — *Et valde mone veniunt ad monumentum. Quid? An non periculosum nimium erat hic exitus? An non multis suspitionibus subjectus? An non securior fuisset sexui vestro conveniens solitudo? Exierunt tamen et mane exierunt, et quidem absque periculo, quia verecundia armata erant, humilitas quoque necnon sensuum comitabatur custodia. Muliebri enim sexui, maxime virginitati et continentie conservandæ convenienter dictæ virtutes.*

g. — *Miranda sane harum mulierum fortitudo; has enim nec terrent tenebræ, nec militum vigilantium statio repellit, nec mortui cadaveris contactus; omnes enim molestias et labores amor facilitat, sicut dicit Augustinus: «Ama et fac quod vis.» Sic quoque præceptorum observantia amore, qui omnia quantumvis aspera facilitat, suavis efficitur. S. Augustinus sæpius citata illa S. Joannis verba: *Mandata ejus gravia non sunt, declarans, rationem quamdam assignat, cur jugum hoc facili negotio sustineatur. «Quomodo est grave,» inquit, «cum «sit dilectionis mandatum?» Idiota in capite primo libri quem de amore Dei composuit, ita scribit: «Inclinat amor amantem, neque in hoc laborat, «amor difficultatem non novit.» Amor lascivus, quantumvis duram ei qui illum sectatur, legem præscribat, hæc tamen ei semper suavis esse videtur; quanto igitur majorem vim in pectore Christiani obtinebit amor divinus? Chrysologus ait: «Fortem facit vis amoris, quia nil durum, nil «amarum, nil grave, nil lethale computat amor «verus. Quid ferrum? Quæ vulnera? Quæ pona? «Quæ mortes amorem prævalent superare perfec- «tum?» S. Augustinus veritatem hanc per pulchram quamdam a venatore deductam similitudinem deducit: hic enim magnam in corporis sui laboribus, sudoribus et defatigationibus recreationem postam habet, tum ob spem, qua præda inhiat, tum ob nimium, quo in venationem fertur affectum: «Nullo modo sunt onerosi labores aman- «tium, sed et ipsi delectant, sicut aucupantium, «venantium, piscantium.» Unde hanc deducit consequentiam: «Interest ergo quid ametur, nam in «eo quod amatur, aut non laboratur, aut et labor «amatur... Vide quam pudendum sil, si delectat «labor, ut fera capiatur et non delectet ut Deus «acquiratur.»**

VERSUS 3.

Et dicebant ad invicem: Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?

Additiones.

a. — Hic S. Mattheus addit: *Et ecce terræ*

*motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de celo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur et vestimenta ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes et facti sunt veluti mortui. Eleganter S. Chrysostomus, in Psal. II, ait: «Sepulchrum, accepto corpore, territum quod Patris «thesaurum accepisset, depositum cum tremore «reddit.» Cum terra susceptrum sit corpus Christi, cum tremore reddi, suo namque tremore magnam reverentiam exhibet corpori Christi, cum ipsum accipit; ex quo discendum est homini Christiano, cum quanta reverentia sit suscipiendum hoc corpus in sacratissimo Eucharistie sacramento, cum sacramenti fructus nostræ quoque correspondeat dispositioni. Celebris est classicorum Auctorum opinio, quod licet manna haud secus, ac alii cibi, speciale quemdam saporem in se habuerit, altamen eundem saporem, juxta beneplacitum et voluntatem eorum qui inde cibabantur, variari, dummodo iidem in gratia Dei constituti et Filii Dei essent. Et hinc est, quod Moyses de hoc angelico pane loquens, quisnam ejus specialis sapor ex natura fuerit, his verbis expresserit, *Exod.*, xvi, 31: *Gustus ejus, quasi similia cum melle;* Sapiens autem de ejusdem manna arbitrario sapore aperte dicit, *Sap.*, xvi, 21: *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Unde Seraphicus Doctor ait: «Habebat unum saporem determinatum per naturam, sed varias per divinam gratiam.» Dionysius Carthusianus hunc sapientie textum commentans, pariter inquit: «Quod dicitur «hic habuisse omne delectamentum et omnis saporis suavitatem, non erat naturale, neque et natura «et vi manna, sed divina virtute, quemadmodum «etiam ipsum manna in se dulce, videbatur iniquis «insipidum, qui dixerunt: *Anima nostra nauseat «super cibo isto levissimo.* Justis vero et Deo gratis «sapiebat, quasi omnium habens saporem suavitatem. Hæc autem omnia in figura contingebant.» Cum enim hæc annona de celo delapsa Eucharistie symbolum fuerit, Deus nobis per illam insinuat voluit omnes saporis, fructus et bona infinita, que ex hæc in nos redundant, radicem et argumentum suum, magna ex parte habere repositum, in pietate, devotione et bonitate illorum, qui inde reficiuntur, siquidem illi qui Dei amicitia et filiatione minime gaudent, non solum nihil inde proficiunt, verum etiam magnam illius habent nauseam. S. Bonaventura, super eundem Sapientie textum, inquit: «Per manna significabatur congrue Christus sub Sacramento altaris. Comedentes ex eo «pro suo desiderio, id est, devotione, reficiuntur, «secundum illud: *Desiderium animæ ejus tribuisti «ei.* Item: *Desiderium eorum attruisti eis; non sunt «fraudati a desiderio suo.»* Ad hæc quoque veri-*

tatem antiphona illa alludit que in primis vespere solemnitatis sacratissimi corporis Christi ad Magnificat canitur, in qua S. Mater Ecclesia non sine mysterio ita canit: «Ut dulcedinem tuam in filios «demonstrares, pane suavissimo de celo prestitito, «esurientes replebis bonis, fastidiosos divites dimit- «tens inanes.»

b. — *Angelus enim Domini descendit de celo.* Angelum hunc fuisse Gabrielem, qui fortitudinis Dei est administer, communis Doctorum est sententia. Varia enim variorum Angelorum sunt officia et munia. S. Laurentius Justinianus, postquam novem Angelorum choros singillatim enuntiasset, varia quoque distinguit eorundem officia, quæ supremæ Divinitati jugiter exhibent. «In primis, «Deus amat ut charitas; in secundis noscit ut «veritas; in tertiis sedet ut æquitas; in dominatibus dominatur ut majestas; in sequentibus «regit ut Princeps; in potestatibus iniecit ut salus; «in virtutibus operatur ut virtus; in archangelis «revelat ut lux; et in angelis mittit ut spirans.» Nec desunt qui aliter in omnibus novem choris subsidia et auxilia particularia notant, que nobis ab unoquoque illorum in magnam utilitatem nostram subministrant. Angelorum enim officium est ut nos custodiant; archangelorum, ut in divina lege mystericque celestibus nos erudiant; principum, ut vitam nostram gubernent et recte ordinent; potestatum, ut rebellium spirituum insultus a nobis propellant; virtutum, ut ad virtuosè operandum nos exstimulent; dominationum, ut ad inordinatas passiones nostras superandas vires sufficientes nobis subministrent; thronorum, ut nos in honore cepto stabiliant, nobisque in eo perseverantiam ad finem usque concedant; cherubinorum, ut mentem et intellectum in divina sapientia illuminent; seraphinorum, ut corda nostra divino amore accendant, adeo ut merito, non solum de duabus, sed de omnibus tribus hierarchiis et novem choris dicere liceat, cum S. Cypriano, quod vere sint «salutis nostræ ministres.»

c. — Angelus descendit absque dubio jussu Dei, et velociter descendit ad ministerium Dei et hominis Jesu Christi. Non aliter veloces sunt in executione jussus Dei ad nostram utilitatem cedentibus.

d. — *Sedebat Angelus super lapidem, ad hoc ut qui veluti sustinuit lapidis pondus in eo amovendo, habeat et in eo requiem sedendo.* Juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum mensuram consolationum spiritualium crescit abundantia. Legitur *Psal.* xciii, 10: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuas iustificaverunt animam meam.* Magnam utique nulli non anime, quascumque in divino servitio occurrentes molestias, difficultates et labores avidissime devoranti, consolationem necessario affert hæc præsens Psalmistæ attestatio.

Item *sedebat super eum, ut mulieres cum aromatibus advenientes benigne exciperet et contra custodes tueretur.* Angeli enim ut in prosperitate innocenter vivamus nos adjuvant, nosque a multis periculis spiritualibus et corporalibus eripiunt. Dicit *Psalmista, Psal.* xc, 11: *Angelus suus Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Item, *sedebat super eum, ut resurrectionis glorias fixas et permanentes indicaret, gaudia enim quæ post resurrectionem nobis elargietur Deus præmii loco, stabilia sunt, quippe quæ nunquam deficient.*

VERSUS 4.

Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

Additio.

a. — Quis hunc lapidem removerit et quomodo id factum sit, exponit Evangelista Mattheus, *cap.* xxviii: *Ecce terræ motus factus est magnus, etc.* Hic terræ motus non fuit ex solito more factus, sed magnus et ingens, ut dicit D. Hieronymus, *Epist.* ad *Hedib.*, quod fuerit tam magnus, ut cuncta concuteret et eversionem terra fundibus minaretur. O si tunc vel levis turbo arborem mortiferam dejecisset! O si nebule fumus mulieris illius tenebrasset aspectum! O si tetra nubes lethalis pomi speciem caligasset! O si peccati diem tenebrasset nos injusta et lamenta mundi, et incrementa mortis et Creatoris injuriam tunc tulisset! Sed vitis semper serviant blandimenta, lenocinantur dulcia delictis; virtutibus vero austerior et fortis sunt amica. Ut homo enim caderet a felici statu, serpens invidat, Paradisi allicit, pomum lenocinat. Ut vero homo redivivus resurgat a sepulcro, magnus fit terræ motus, multaque difficultates insurgunt. Ita mala consuetudo ad resurgendum difficultates parit. S. Thomas de Villanova, de resurrectione Lazari loquens in hæc verba prorumpit: «Miracula Christi «non hunc miracula sunt, sed mysteria. Latet in «hæc Lazari suscitatio spiritualis suscitatio peccatoris. Lazarus namque quatriduanus, fœtidus «et sepultus, peccatoris tyrum gerit, non cujus- «cumque sed obstinati, indurati, corrupti; in quo «ratio, mens, sensus, synderesis, vitio sepulta «sunt.» In hæc igitur resuscitatio incarnata Sapientia, quæ in omnibus actionibus suis doctrinæ magisterium nobis præbere dignata est, manifestare voluit difficultates insuperabiles, quæ in peccatore habituato in statum salutis reducendo, occurrere solent, simulque insinuat voluit media quæ ad hunc finem consequendum apta esse noscuntur. Vide *Feria VI post Dom. IV Quadr. Evangelium de Lazari resuscitatione.*

Observatisne qualiter cadaver mortui Lazari in sepulchro pluribus institis et ligaculis vinctum fuerit, ut proinde Christus discipulis dixerit: *Solvite eum?* Cur autem id fecerunt? Num forte timebant ne mortuus ex obscuro carceris illius spelunca egrediretur? *Omnia in figura contingebant illis.* « Heu miseram peccati servitute! » exclamat ad hoc propositum Villanovanus, « quam qui semel incurrit, catenis durissimis et infrangibilibus irretitur. Residet iniquitas super talentum plumbi, ut ait Propheta, et deprimentem peccatorum molem nulla potest virtus humana repellere. » S. Bernardus ait: « Voluptas habita libenter repetitur; repetita blanditur; consuetudo ligat; ratio conspuitur. » Seraphicus Doctor de hac materia disserens inquit: « Sagena diaboli consuetudo peccandi; sicut enim sagena ex multis nexibus, sic consuetudo ex multis malis actibus perficitur. » Auditis velim quibus nominibus S. Bernardus retis hujus nodos, seu potius hujus catenae annulos nuncupet; ita enim scribit: « Per septem tyrannides precipit peccatum habitatum animam in infernum. Consuetudo enim mala, primo peccata graviora facit; secundo, minuit naturalia bona; tertio, reddidit prumptum ad mala; quarto, precipitat in peccata; quinto, peccare cogit; sexto, in ultimam desperationem inducit; septimo, in aeternam damnat. »

VERSUS 5.

Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola conlita, et obstupuerunt.

Additiones.

a. — *Et introeuntes, etc.* Resurgente Domino, terreni illius Adami genus e mundo eliminatur, et celestium hominum regenerantur examina. Qui ab utero matris pulverulenti nascebantur et mortales, veteris patrie referentes imaginem, a sepulchro rediit, celestem et immarcescibilem juventutem auspicantur. Cur non obstupissent feminae? Vident sepulchrum parturire juvenem splendidum, prima nivali stola decoratum; et merito stupent, et verecundantur, quod feminae juxta veteris seminis senescentis Adami prolem pariant. Pulchre D. Augustinus, *Serm. cxxxiii de Temp.*, nativitatem a sepulchro cum nativitate ab utero matris comparans, sic inquit: « Gloriosior est ista, quam illa nativitas. Illa enim corpus mortale genuit, haec edidit immortale. Post illam nativitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad caelos. » Mors et sepulchrum absomit pulverem miseriae humanae, parit requiem dum homines finitis hisce calamitatibus, in vitam emittit immortalem; ac propterea mortem minime timere deberemus.

« Mors nihil aliud est, » ait eruditissimus Idiota in *lib. de contemplatione mortis*, « quam carceris finis, et laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis adimpletio, oneris gravissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinosa liberatio, omnium agritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio et diruptio. » Ac proinde merito S. Hieronymus morti vicinus, ad eos qui eum deplorabant se convertens, ait: « Me non tanquam morientem lugeatis, sed mecum tanquam portum salutis attingente gaudeatis. Quid imbecillius miseria hujus vitae, quo tot dolorum et passionum agminibus circumdamur? » S. Bernardus, *Serm. lxx de modo bene vivendi*, nos ut mortem potius desideremus, quam exhorrescamus, admonet, quando S. Isidori auctoritatem in hoc addidit verba: « O mors, quam dulcis es miseris, quam jucunda es tristibus atque lugentibus. Mors ponit finem omnibus malis in hac vita, admittit omnem calamitatem. » Unde et S. Augustinus sequentem ad idem propositum tradit doctrinam, inquit: « Mors etiam piorum poena peccati est, sed ideo bona ipsis dicitur quia illa bene utuntur, quibus finis est ad mala temporalia et transitus ad vitam aeternam. »

b. — Ad praesentiam Angeli, terra insolito motu concutitur et praegransdem sepulchri lapidem Angelus revolvit et super eundem sedit, ut ait Matthaeus. Forte Angelus e longo itinere, a caelo in terram usque fatigatus, requiescit? Seu in gravi terra mole concutienda, nimis laboravit? Sive in ponderoso sepulchrali saxo removendo viriam robore validius impenso valde aestnavit? Et ideo fatigatus sedet et sessione tantisper requiescit? Pulchre hoc pertractat S. Chrysologus, *Serm. lxxiv et lxxv*: « Et Angelus, » ait, « quae causa sedendi erat cui nulla aequalis lassitudo? Sedebat ad docendam resurrectionem, non ad lassitudinem sublevandam. Coelestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem. Sed factus est lapis, vas angelicae sessionis, doctrinae caelestis cathedra. » Ex qua homines doceat, gloriosum Christi resurrectionem, passionis labores secutur; haec amarissimas passiones, hanc gloriosam resurrectionem veluti produxisset. Tribulatio enim pignus est et artha electionis ad gloriam. Innumerabilem electarum animarum catervam, *Apoc. cap. vii*, descriptam reperimus, quae cum Agnum caelestem sequeretur in empireo, audita est vox unius de senioribus interrogati: *Hic qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt?* Et dixit mihi: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et serviant ei die ac nocte in templo ejus.* Tribulatio summi suam denominationem ab instrumento quodam, quod adhibetur frumento et dicitur *tribula*; hac concuti-

tur, et percussit granum frumenti, ut separaretur a paleis; eundem tribulatio sortitur effectum, ut nimirum electos discernat a reprobis: « Frumentum es, quod times tribulam? » Querit S. Augustinus: « Non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo a te separaverit paleas. » Tribulatio ergo distinguit frumentum a paleis, illud selegit pro caelesti granario: *Triticum autem congregate in horreum meum.* Fideles autem nascentis Ecclesiae monuit S. Petrus, I Epist., iv, 15, dicens: *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor.* Tribulationes, ut sint nobis subsidio ad obtinendam caelestem gloriam, haud delictorum supplicia et poenae sint oportet, quia illa vere sunt artha securae gloriae, de quibus Salvator ait: *Beati estis, cum malevolerint vobis et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Citat quoque S. Bernardus hunc textum Sapientiae, iii, 4: *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitatis plena est, et addit: « Merito nemp, spem de regno colorum habet, qui motam habet qua emi potest, quae est patientia in tribulationibus; sine hac moneta non potuit Christus ingredi aeternum regnum, unde oportuit pati Christum. »* Psalmista ait: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* *Psal. cxxx, 5, 6.*

c. — Tametsi Angelica natura ignoret humanum laborem et tribulationem, nesciatque lassitudinem, tamen post validum admissum ad saxeam revolvendam molem, quasi nimis laborasset, tanquam lassus sedet, ut hoc pacto doceat quam magni in caelo humani labores et tribulationes aestimentur; siquidem dum ipse e caelo laboris exsorte, peregrinatur in terra laborem et terrumarum feracissima, etiam dum venit ad laetam Dominicae resurrectionis gloriam praedicandam et cum in revoluta sepulchri lapide, velut lassus sedet, saltem speciem praevii laboris humanitatis representat. Et quia humanum corpus apparetur assumit, speciem quoque laboris exhibet, quasi gloriosum missionis ad terram stipendium. Ingens ergo luerum, meritum, perfectio, virtus laboris et tribulationis esse debet, cum tantopere ipsos labores et afflictiones Angelica natura exhibeat, ut pro munere missionis habeat.

d. — Valde advertendum est quod Angelus hic amictu niveo vestitus describitur, tanquam puritatis ac castitatis symbolum et cur Angelus hic in externa specie exhibet suae puritatis signum? Nisi quia ideo sedebat super lapidem ut mulieres dulci de resurrectione Domini colloquio benigne exceperet et quamvis Angelus naturam suam senti loci habeat, tamen ne aliquis mysterii et naturae ipsius

ignarus, sinistri quidquam suspicari posset, inde ipse, ut eximie caelus, omnium oculis aperta signa suae puritatis ac castitatis objicit, ut omni sinistrae suspicionis amoveat periculum. Tam periculosum est cum muliere agere, tantaque cautela requiritur! S. Bonaventura de praevaricatione angeli tractans, ex auctoritate S. Hieronymi dicit: « Si mulier potuit vincere eum qui jam erat in Paradiso, non est mirum si eos impedit qui nondum ad Paradisum pervenerunt. » S. Anastasius Nicenus de muliere ita scribit: « Quid est mulier? Cordis lancea, sanctorum calumnia, quies serpentis, fornax succensa, os efrenatum, dux terabrurum, magistra delictorum, vestita vipera, domus tempestas, viri naufragium, immitis fera. » Origenes pariter in ejusdem sexus detestationem ita scribit: « Et ecce mulier, caput peccati, arma diaboli, expulsio Paradisi, delicti mater, corruptio legis antiquae. » S. Macarius haec omnia monachis suis, per similitudinem ignis in medio straminis positi, demonstrat, qui illud succedendo consumit: « Ut enim si paleis immoretur ignis, excitat flammam, sic memoria mulieris permanens succendit concupiscentiam. »

e. — Venerat Angelus ad celebrandum Dominicae Resurrectionis sacramentum, inde in veste candida ut nive appareat ad id indicandum quod Paschale festum cum omni puritate, sinceritate, ac virtute et candore sit peragendum. Paschale autem festum erat olim esus Agni Paschalis, apud nos comestio Eucharistica. Ex rilibus igitur esus Agni Paschalis discere licet dignum hujus sacramenti usum. *Evod., xii, 5.*

VERSUS 6.

Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quaeritis Nazarenum, crucifixum; surrexit, non est hic; ecce locus ubi posuerunt eum.

Additiones.

a. — *Qui dicit illis: Nolite expavescere, etc.* Optime nec sine mysterio, ex verbis Angeli S. Gregorius Nyssenus educit praeproperam Christi Domini resurrectionem; non enim dicit accedentibus feminis: *Modo surrexit, sed, jam antea surrexit.* Et cur, qui pas fergimus jam antea in aromatum obsequium impoluit, earum officium devotionis non expectavit in sepulchro? An fugit exhibendam sibi tantam olei impensam, ut servaretur in usus pauperum? Pulchre S. Bernardus, *Serm. xv in Cant.*, inquit: « Proinde ob hoc Dominus Jesus paratam sibi confectionem expendi non nit in suo corpore mortuo, ut servaret vivo, cum anticipans horam et accelerans gloriam, mulierum devotionem non elusit, sed instruxit. non recusans obsequium, sed reservans proficuum. In isto ergo pepercit Magister pietatis

« unguentis optimis, quæ membris suis indigen-
« tibus cuperet exhiberi. » Instruebat, inquam,
Dominus quibus impendendum erat obsequium a
fidelibus, nimirum membris vivis, egenis, pauper-
tate pressis. In horum usus quicquid impendatur
gratissimum accidit Redemptori Christo. Hoc Jesu
bono cordi erat, ut pauperum curam haberet : ob
hoc gloriam resurrectionis anticipat, ut doceat
pauperibus servari substantiam et illis impendi
servitia.

b. — *Nolite expavescere, etc.* Hæc festina Angeli
adhortatio immodicum harum mulierum, in cordi-
bus earum latente timorem revelat. Heu debilis
semper timor qui strenui nil unquam vel meditatur
vel concipit, aut exequitur! Inde timoris plenæ
voces : *Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monu-
menti?* Et ideo omnem explosionem, quam conso-
lationem promerentur. Quæ igitur sic timore rigent,
nihilominus visione Angelica dignæ censentur ut
nuntiis celestibus recreantur. O dignatio divinæ
bonitatis singularis! Quem mihi strenuum belli
ducem dabis qui timidum militem dulci alloquio
solabitur? Excitat celestis genius timidus has mu-
lieres, verum non vano timore, sed divino gravidas,
quo stimulante, nec militum venerunt insolentias,
nec itineris quærantur molestias, et hinc divina
solatia, angelicæ visiones et resurrectionis gaudia
merentur. Dei enim timor animabus timentibus
similes consolationes et gaudia confert. *Timor
Domini delectabit cor, et dabit latitudinem, et gaudium
et longitvum dierum,* dicit Ecclesiasticus, I, 12.
S. Chrysostomus, *Hom. xxvi ad Heb.*, ait : « Adsit
« timor Dei et nihil erit molestum, sive dixerit
« paupertatem, sive morbum, sive captivitatem,
« sive servitutem, sive quidvis aliud molestum;
« sed et ipsa nobis opem afferent ad contraria. »
Probat deinde quod Dei timore fulciti in ipsis
etiam tribulationibus quietem et gaudium experturi
simus : « Scilicet paupertas divitiis honestior, mor-
« bus sanitati firmiter, captivitas denique et servitus
« libertate gloriosior, ac potior erit. »

c. — *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum, etc.*
Veniebant hæ sanctæ mulieres eo fine ad sepul-
chrum, ut ungerent Jesum, quas ipse Angelus præ-
venit et jam resurrexisse Dominum propalat, in ipso
sepulchro residens. Quid quæso Angelis cum
mortuorum sepulchris? Et quid tam sollicitæ Ange-
lus sagat, ut mulierum unctionem antevertat? Ne
puteat Christi corpus unguentorum beneficio, a
vermibus et putredine exemptum, sicque aliqua
suspicio enasci posset quasi aliquo peccato subditum
fuisset sacratissimum Christi corpus. Unde alle-
profecto dixit Titus Bostrensis de natura humana :
« Quanquam illa in prevaricationis peccato foeteret,
quanquam in idololatriæ peccato putruisset, quan-
quam ei demones instar vermium dominarentur,
etc. Scilicet peccator Deo mortuus est et vivum

cadaver; sicut enim cadaver mortuum foetet, ita et
peccatum. Cum ergo Domini sepulchrum dicitur
fore gloriosum, Angelorum munus erat, incorrup-
tionem Domini cadaveris a vermium putredine,
asserere et publicare. Ergo Angelus antevertat mu-
liebre ungenti studium, sedeat super monumentum,
descendat ut a Domini corpore corruptionis suspi-
cionem, aut opinionem peccati excutiat.

d. — Ad quid Angelus in hac triumphi gloria,
nomen prædicat, crucem dicit, passionem loquitur?
« Numquid, » inquit D. Cyrillus Hierosolymitanus,
« non potuisti dicere, o Angele : Scio quem quæritis
« meum Dominum? » Poterat sane id dicere; ad
quid addere *crucifixum*? Ratio est ut sumptuosius
cunulet resurrectionis gaudia et nos discamus,
quod quisquis ad Paradisum vult ingredi, prius per
ærumnarum ense transire debet. S. Bernardinus
ait : « Nullus potest intrare in regnum, nisi transeat
« per flammæum gladium, atque versatilem, qui
« positus est ad custodiam ligni vite; sed hoc
« nullus potest facere nisi per patientiam in tribu-
« latione. » Gladius enim flammæus, atque versa-
tilis tribulatio est affligens animam et corpus; et
ideo dicit Apostolus, *Act.*, xiv, 24 : *Per multas tri-
bulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Primus
qui Paradisum hactenus a die sue creationis clau-
sum ingressus fuit, est Verbum Dei incarnatum,
Jesum Christum Filium Dei. Quis autem primus fuit
qui in ejus societate illuc pariter penetravit? Latro
aliquis et infamis sicarius cui dictum est : *Hodie
mecum eris in Paradiso.* At vero quibus meritis ad
summam hanc felicitatem ei perlingere licuit? Non
ob alia merita quam quia passus est simul cum
Redemptore, eique intime compassus fuit. De aliis
vero electis, quos æterna beatitudine indubitanter
frui, fides ipsa nos docet, quot eorum cruciatus, aut
adversitates ab ipsis patienter toleratas in vitis et
actis eorum non legimus? *Omnes sancti quanto
passi sunt tormenta?*

e. — *Ecce locus ubi posuerunt eum.* Festinus
Angelus inter resurrectionis gaudia, inter splendi-
das glorias, invitat feminas ad sepulchrum viden-
dum : nulla enim infirmitas mortem expavesceat,
ubi inde resurrectionis splendore meditetur. Cur
enim timeat mori, qui a morte vivit? Cur expaveat
sepulchrum, qui ex illo pulchrior renascitur? Sane
sol ubi nocturnis tenebris appropinquat, repigres-
ceret, cursum tardaret nisi in tenebris secret se
habere quod vivat. At dum futuram vitam e tene-
bris auspiciatur, intrepidus nulla facta mora, noctis
sepulchrum amat intrare. Sic de sole altero et
præstantiori et diviniore loquitur S. Paulus ad
Hebræos, xii, 2 : *Proposito sibi gaudio, sustinuit
crucem, confusione contempta.* Etenim ubi mortem
resurrectionis gloria solvendam novit, non distulit
diem mortis, non repugnavit mori, sed intrepidus ad
mortem evolavit. Sic quia mors electis ad æternam,

beatamque vitam patefacit introitum, ideo cum
gaudio moriuntur, quorum licet corpus putrescat,
postea nihilominus revestitur in resurrectione.

f. — Non utique valde mirandum est, quod inter
resurrectionis glorias, horrorem sepulchri Angelus
indicat : *Ecce locus ubi posuerunt eum.* Sapienter id
quidem Angelus, volebat enim spem beate resur-
rectionis mentibus ingerere mulierum, ad quam
concupiendum multum valet cogitatio mortis, quæ
etiam summe fructuosum reddit paschale Sacra-
mentum, sacram scilicet Eucharistiam quam sumere
quotidie interest quasi foret ultima.

g. — Nota Angeli prudentiam; inter resurre-
ctionis glorias ad sepulchrum mulieres adducit, ut
recordentur et intelligant suam terrenam originem
et humilitatem ediscant. Qui vult enim vere esse
humilis, memor sit vilitatis suæ originis. S. Chry-
sostomus, *Hom. xii in Gen.*, ait : « Formavit Deus
« hominem, pulverem accipiens de terra. Hinc si
« attendere volumus, non parva nobis humilitatis
« offertur doctrina; nam cum cogitaverimus unde
« constitutionis suæ initium natura nostra susce-
« perit, etiamsi sexcenties supercilia surrigamus, ea
« reprimeamus et humiliabimur. » S. Laurentius
ait : « Recogita, o homo, ut humiliter, originem
« tuam. Intellige unde venis et erubescere; adverte
« ex quo conciperis et humiliare; nam in putredine
« conciperis, in sordibus generaris, in lateribus
« conciperis et in doloribus parturiris. Formatus
« es nempe, o homo, de pulvere, de luto, de cinere
« quodque vilis est, de spurcissimo et foedissimo
« sanguine, in pruritu carnis, in fervore libidinis,
« in fastore luxuriæ et quod deterius est, in labe
« peccati, in obligatione delicti. »

VERSUS 7.

*Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro quia præcedit
vos in Galilæam; ibi eum videbitis, sicut dixit
vobis.*

ADDITIO.

a. — *Sed ite, dicite discipulis ejus, etc.* Mira prorsus
divinæ misericordiæ significatio, dum illi prius
resurrectionis suæ gloriam mandat nuntiari, qui
gravius deliquerat, peccato nempe, de quo Chry-
sostomus dicit quod non habuerit æquale. Sed sciend-
um est Petrum jam penituisse, vera et non ficta
penitentia. Tanto autem apud supremam sacro-
sanctæ Trinitatis Majestatem in pretio atque valore
habetur cor veraciter penitens, ut vel ad unius con-
tritionis actus comparationem, omnes flocci æstimet
terre thesaurus : *Si dederit homo omnem substantiam
domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*
Contritio ferventissimus charitatis et amoris est actus.
Faciât anima quicquid poterit et noverit, in
debitorum suorum satisfactionem; instituat, multi-
plicet jejunia, elemosynas, peregrinationes, exta-
ses, animarum conversiones, opera omnia miseri-
cordiæ : *Quasi nihil despiciet, in comparatione vel
unius contritionis actus.* Sicuti minimus gratiæ
sanctificantis gradus abunde sufficit ad integram
etiam abolendam peccatorum infinitatem; ita et
solus vere contritionis gradus, vel unicus, sufficiens
est ad eundem præstandum effectum. Audite S.
Gregorium, *Hom. xxxii* : « Tanto amplius peccati
« rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno
« charitatis igne concremat. »

DOMINICA IN ALBIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XX, VERS. 19

19. Cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli
congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis.

20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.

21. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis; sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

22. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum.

23. Quorum remisisset peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.

24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Dydimus, non erat cum eis, quando
venit Jesus.

25. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro
in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam
manum meam in latus ejus, non credam.

26. Et post dies octavo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis; venit Jesus
januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis.